Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift



trinitatis. ad longitudinem uitae. in mortalitateq; distendit. Latitudinem caritatis. indulgentiae. & benignitatis. fundat effectu. Altitudinem spei. ad caelestia erigit & excelsa. Supernorum enim ambulans. Hierusalem habet conuersationem. Summa uero actuum suorum refert ad unum. scientem. quia omnes quidem currunt. sed unus accipit palmam. Scilicet. qui cogitationum uarietate. & instabilitate mentis. non fuerit multiplex. sed hanc bibliothecam. non ex agrestibus & inpolitis. sed ex quadratis. & secundum aequitatis lineam directis construit lignis. Idest. non ex saecularium auctorum. sed ex prophetarum atq. apostolicis uoluminibus. Ipsi enim. qui diuersis temptationibus edolati. resecantur omnibus uitiis & excisis. quadratam continent uitam. & ex omni parte libratam. Nam auctores saecularium librorum. possunt quidem dici ligna excelsa. & ligna umbrosa. sub omni enim ligno excelso. & nemoroso. accubitum formicarum esse ait. Quia illi loquuntur quidem excelsa. & floridum habent eloquentiae. non tamen egerunt utilitatis. & ideo non possunt ligna quadrata nominari. quod ineptum nequaquam uitio & sermone conlibrat.

Tu ergo si facis arcam. siue bibliothecam congrega ex sermonibus prophetarum & apostolicis. uel eorum quae recta fidei lineam sequuntur. Congrega bitumentum. & tricamentum. facito eam. ex ipsa narrationem historiae disce. ex ipsa mysterium magnum. quod in xpo & in ecclesia impletur agnosce.